



502.

ORDINIS THEOLOGICI ²⁹
IN
ACADEMIA VVITTEBERGENSI

H. T.

DECANVS
CHRISTIANVS
FRIDERICVS
BAVER

S. S. THEOLOG. DOCTOR EIVSDEMQUE
PROF. PVBL. ORD. ALVMN. REG. ELECT.
EPHORVS

BENEVOLO LECTORI

S. P. D.

ORDINIS THEOLOGICI
IN
ACADEMIA WITTEBERGENSI
DECANVS
CHRISTIANVS
FRIDERICVS
B A V E R
S. S. THEOLOG. DOCTOR FIVSDOMVVS
PROV. PAVL. ORD. ALIIVM REG. ILLVST.
ETHOVVS
BENEVOLO LECTORI





Inter plurima generis humani vitia nullum est frequentius, quam ingrati animi. Quis numerabit acceptorum beneficiorum immemores, quos nulla afficit cura, ut Deo, parentibus, patronis ac amicis bene meritis debitam referant gratiam. Inter omnes tamen ingratos, quorum magna est varietas, nullum peius datur hominum genus, quam quod optimi Redemptoris sui obliuiscitur. Qui non recordabitur amici sui, quo familiarissime usus est, malo est animo, qui nec benefactoris, est peiori, qui nec redemptoris sui, pessimo est omnium. In Iudaeis tempore Christi maximae impietatis signum fuit, quod verae redemptionis, quam Messias in passione sua dedit, non recordati sunt, quod praedicatam non magni aestimarunt, quod in prophetiis scripturae sacrae praedictam dissimularunt, quod in passione praestitam blasphemarunt. Sic Iudaei omnium populorum facti sunt pessimi, quia optimi Saluatoris nostri, ad ipsos praecipue missi, turpiter obliui sunt. Tam foedum, tam detestabile hoc est vitium, ut ne quidem cadat in bestias benefactoribus suis gratas. Cognoscente enim boue possessorem suum, et asino praesepe domini sui, Israel Deum ac Dominum suum, nempe Messiam, Sanctum Israelis, nec cognoscit, nec existimat. Eo in mundum veniente, ad quaerendas et saluandas perditorum animas, nulla adest in hoc populo meritorum Christi memoria, nam in morte eius, cum in sepulchro iaceret, quis eum pro vero redemptore confiteri volebat? Quam fideliter autem Messias iam in V. T. Iudaeos de hoc vitio praemonuerit, restantur ipsius verba, quae legimus in Iesaiæ capite XLIII, 25. *Dum ego, dum egomet ipse, ero ille, qui delebo iniquitates tuas, propter me, et peccatorum tuorum, non recordabor,*

dabor, v. 26. recordare tamen mei, iudicabimur ibi, vna; recita tu ipse, quapropter iustus esse velis.

Consideranti mihi etiam atque etiam, hoc diuinum Redemptoris ad Iudaeos alloquium, datum apparet in his verbis mandatum, de recordatione Messiae, pro nobis iudicandi, et de confessione mortis suae, quod fit causa iustitiae et salutis nostrae. En enim fontium verba, accuratori peruestigatione dignissima.

Ies. XLIII. 25.

Redemptor peccatoribus iustificandis suadet, sui meriti	recordationem	} et iudicii, quod hominum loco subit	} ad iustitiae et satisfactionis vicariae	} communionem	} Recordare mei, הַזְכִּירֵנִי iudicabimur ibi בְּשִׁפְטָהּ vna יְחַד
} et confessionem	} vt profiteantur ipsum	} pro causa iustificatio-	} nis.	} לְמַעַן הַצְדִּיק : qua propter iustus esse velis	} recita tu ipse, סֵפֶר אֶתָּה

In his verbis Saluator de suo merito est orator. Testatur enim, se Iudaeorum peccata propter se ipsum deleturum et remissurum esse, si modo meriti eius recordentur, et vicariam mortem eius, pro causa salutis suae, vera fide profiteantur.

Non diffiteor quidem hanc explicationem, multum abire a recepta huius versus translatione, et communi interpretatione. VULGATUS reddidit: *Reduc me in memoriam, et iudicemur simul: narra, si quid habes, vt iustificeris.* Quare interpretes in his verbis fingunt irrisionem. Tali sensu accipiunt MÜNSTERVS, VATABLVS, CLARIYS, et FORERIVS, cuius verba adscribam, quae sic se habent: v. 26. *Reduc me in memoriam*] i. e. *fac vt mihi in memo-*

memoriam veniat. Sic enim sonant Hebraea, quasi dicat: si vero res non sic se habet, imo habere te putas, unde debeam tibi ignoscere, fac ut id mihi in mentem veniat: nihil enim tale memini: fac me recordari. Estque tacita in his verbis irrisio, quid enim Deum fugiat? Haec FORERIVS. Sic etiam locus explicatur, in b. AVGVSTINI VARENI Commentario, in Parte III. p. 132. qui suffragatur R. D. K. scribendo: vers. 26. non male his verbis παραφράζει KIMCHI. אם האמר שאני שכחתי צדקותיך ואינם רבות המאתיך כשאני אמר הזכירני כאדם המזכיר לחברו מה ששכח id est: si forte dices, me esse oblitum iustitiarum tuarum, nec tanta esse peccata tua, quanta ego dixi, reuoca mihi in memoriam, sicut homo, qui reuocat proximo in memoriam, quid illud sit, cuius oblitus est. Nec abludunt b. MICHAELIS Biblia illustrata, in quibus sequentia leguntur: v. 26. Fac me recordari, seu in memoriam mihi reuoca, merita tua, si qua tibi sunt, nam conscendam tecum in disquisitionem, tu ipse enarra illa, ut, si possis iustificeris. Scio autem, te nihil habere, quo iustitiam tuam demonstrare queas, nec vel propria, vel patrum merita allegare posse, quibus me tibi obstrictum esse probes. HUGO GROTIUS autem dicit: Deum causas reddere deportationis populi in captiuitatem Babylonicam, et sequentia commentatus est: Reduc me in memoriam] Narra mihi quae feceris et quae passus sis, ut videamus, quae pertulisti, iure an iniuria pertuleris, et iudicemur simul super ista calamitate vestra. Narra si quid habes, ut iustificeris,] si quid habes, quo speres te posse ostendere immerito tibi haec euenire. CLERICVS sic transtulit: Fac ut recte factorum tuorum recorder, atque vna disceptemus, narrato, ut innocens iudiceres. Et suam textus interpolationem, sic excusauit: Est tantum הזכירני fac ut recorder. Sed quia homo non cupit malefactorum suorum, sed tantum laude dignorum

memoriam a Deo seruari, suppleuimus quod necessario subaudiendum fuerat, vt haec verba intelligerentur.

Hos omnes mittimus, tanquam interpretes, sensum Domini in hoc versu 26. minime affecturos. Non enim inuenimus loquentem irrisorem, sed doctorem, qui de iustificandis, quorum peccata delebit ac remittet, satisfactionis ac meriti sui recordationem et confessionem postulat. Non inuenimus obliuiosum Deum, cui a Iudaeis memoria reducenda est, sed illum Redemptorem, ob quem iustificamur, et cuius memoria semper a nobis, grata mente recolenda est. Praecipuae cum his interpretibus controersiae, concernent duo priora vocabula. Primum est

הִזְכִּירְנִי quod illi vertunt, fac vt recorder, reuoca mihi in memoriam; ego autem potius vertendum existimo: *recordare mei, fac mei memoriam, fac mei mentionem.* Hunc autem verum esse significatum exemplis demonstrabo. Cum Iosephus Potipharem rogaret, Gen. XL. 14. וְהִזְכַּרְתִּי אֵל פַּרְעֹה vt *mei mentionem facias apud Pharaonem*, non significat hoc; vt mihi in memoriam reuoces Pharaonem, sed vt mei recorderis, et mentionem de me facias, coram Pharaone. Sic etiam הִזְכִּירְנִי hoc loco significat, *recordare mei, et fac mei mentionem*, nempe, in actu iustificationis, vbi narrato, cuius causa iustificeris. Dic ibi Ps. LXXI. 16. מִזְכֹּרֹת צְדָקָתְךָ לִבְרַךְ *memorabor iustitiae tuae, tui solius.* Ies. XII. 4. הִזְכִּירוּ כִּי נִשְׁבַּח שְׁמוֹ *Hoc annunciate, vt nomen eius extollatur.* In hypocritico Israele hoc taxatur, quod iurabunt quidem, in nomine Domini, et Dei Israelis mentionem facient, sed non in veritate et iustitia. Esa. XLVIII. 1. הִזְכִּירוּ לֹא בְאֵמֶת וְלֹא בְצִדְקָה *Mentionem quidem facient Domini sed non in veritate et iustitia.* Vnicum adhuc addam exemplum, ex quo genuina significatio vocis huius abunde constabit. Exod. XXIII. 13. *Omnia quaecumque interdixi vobis, ab iis cauete vobis, et nominis aliorum Deo.*

Deorum *לֹא תִזְכְּרוּ לִי* ne mentionem quidem faciatis, ne audiat ex ore tuo. Ergo vi contextus, hoc loco etiam significat, *הִזְכִּירְנִי* fac mei memoriam ac mentionem, vt tui redemptoris, qui propter se ipsum peccata tua delebit ac remittet.

Non sufficit autem, vt nudae vocis cognitam exploratamque habeamus significationem rei etiam significatae natura et indoles e contextu ponderanda, proponenda et explicanda est. Cognitio Messiae, deleturi peccata hominum, eorumque non amplius recordaturi, consideratur vt res, quae tandem plane ex scientia et memoria Iudaeorum excidit. Doctrinam de peccatorum vestrorum deletionem, quod nempe Messias, librum in quem iustitia diuina omnes transgressiones vestras inscripsit, suo sanguine delet, non curabit. Eiusmodi obliuio, erit amissio memoriae ac scientiae mei, ad vnionem fidei necessariae. Quomodo tua delere potero peccata, qui mei memoriam tua obliuione et abnegatione delendam esse censes, sic dirumpitur vinculum necessariae vnionis per fidem, cuius respectus tamen habetur in diuino de homine iustificando iudicio. *Ibi iudicamur vna.* Sic vertenda sunt verba sequentia, vt ratio appareat, cur Messiae reminiscendum sit.

כִּשְׁפָנוּ יְיָ tunc iudicabimur vna. Sensus eo abit: Ad mei, tanquam tui redemptoris, recordationem et confessionem respicietur in iustificatione tua. In eo iudicio diiudicabitur, vtrum mecum communionem habeas, nec ne? *Ibi iudicabimur vna.* Quodsi mei oblitus es, damnaberis, quia meum meritum pro te exhibitum perdidisti, tua obliuione ac abnegatione mei. Sin autem mei recordatus es, iudicabimur pro vna persona, ita, vt mei causa salueris. Quemadmodum ego viuo, sic etiam tu viues. Quemadmodum ego in me suscepi tuorum peccatorum deletionem, sic tibi etiam, mei mentionem facienti, imputabitur iustitia mea. Nam redemptor, et redemptus, habentur

bentur pro vna persona in diuino iustificationis iudicio, si modo redemptus redemptori per fidem adhaeret eiusque merita sibi applicat. Nulla noua, in hac expositione proponitur doctrina, sed eadem, quam Paulus docuit, asserendo Rom. V. 9. *nos iustificari morte et sanguine Christi*, et 2. Cor. V. 21. *Christum factum esse peccatum pro nobis, ut essemus iustitia in ipso*. Eo enim modo nos sumus iustitia in Christo, quo, ipse factus est peccatum pro nobis, et quo iudicamur vna. Hoc etiam docuit b. LUTHERVS, nec pigebit eius referre verba Tom. I. in epistola ad Eremitam quendam, quem iubet dicere Christo; *Tu, Domine Iesu, es iustitia mea, ego sum peccatum tuum: tu assumpsisti meum, et dedisti mihi tuum: assumpsisti quod non eras, et dedisti mihi, quod non eram*, et alibi refert hanc fidelis animae ad Christum vocem; *ego sum tuum peccatum, tu mea iustitia: triumpho igitur securus, quia nec meum peccatum obruet tuam iustitiam, nec tua iustitia, finet me esse peccatorem*. Hanc expositionem nostram confirmant etiam sequentia verba אֵתָהּ אֶפְרַיִם narra ipse, et recita, quomodo mei recorderis, quibus verbis mei mentionem facias, quibus de causis speres remissionem peccatorum tuorum. Si mei recorderis, non tantum audaciae crimen admittes, vt causam salutis tuae meritis tuis assignes, sed foederis mei ac promissionum mearum, (de delendis a me peccatis tuis, mei causa,) mentionem facies. Et sic enarrabis לְמַעַן הַצְדָקָה cuius causa velis esse iustus, seu pro iusto iudicari velis, nempe mei causa, cui adhaereas fide, et cum quo vna iuandus sis.

Sic omnis oratio redemptoris optime cohaeret, et docet eadem, quae hactenus in ecclesia, de recordatione et confessione meriti Christi professi sumus. Nihilominus tamen verendum est, ne data a nobis explicatio ideo reiciatur, quia, qui antiquum obtinent, statim obiciunt, vocabulum

bulum נשפט in *Niphal* non significare *iudicari*, sed *disceptare*. Sic enim b. s. SCHMIDIVS vertit: *Vers. 25. Ego, Ego (sum) delens iniquitates tuas propter Me, et peccatorum tuorum non recordor. Vers. 26. (Aut) fac me recordari, (quae feceris Mibi, ut) disceptemus vna: recense tu, ut iustificeris.* Respondemus autem: in definienda vocum significatione religiosissime danda est opera, ne famosus, quem Iudaei sinxerunt, et quo nobis imposuerunt, significatus, statim habeatur pro vero, proprio et olim vsitato; sed vt vsus biblicus consulatur, et ope Concordantiarum, ex collatione locorum, in quibus occurrit, significatio primaria ac vera cuilibet loco restituatur. Concedo, in multis locis Iudaeos, Messiae iudicium, quod ipsi apud Iudaeos subeundum erat, per disceptationem explicuisse, ne lectores animaduertant, Iudaeos fore iniustos et iniquos Messiae accusatores et iudices, a quibus ad mortem condemnentur. Ezech. XX. 35. Ier. II. 35. Concedo etiam, נשפט saepius idem dicere, ac *sistit se iudicio, in quo iudicetur cum altero; subit iudicium*, vt i. Sam. XII. 7. Iob IV. 2. Sed exinde negari non potest, genuinam et propriam significationem vocis נשפט esse, iudicatur. Nam probo hanc significationem sequentibus exemplis Ps. IX. 20. *Surge Domine, ne inualeat homo על-בניקד גוים וישפטו iudicentur* (non autem disceptent) *gentes coram te.* Hoc loco, de nulla disceptatione coram Deo instituenda, sed de subeundo gentibus iudicio sermo est. Sic etiam de iusto dicitur, quamvis ab iniustis iudicibus executioni tradatur, Dominum tamen illum non condemnaturum esse, Ps. XXXV. 34. וְלֹא יִשְׁפֹּטוּ בְּהַשְׁפֵּט יְהוָה neque Dominus condemnabit illum, quum ab impijs iudicabitur. Occurrit de iudicio Iudae proditoris, ex quo exiturus esset, vt impius. Ps. CIX. 7. בְּהַשְׁפֵּטוּ יֵצֵא רָשָׁע Quum iudicabitur, exibat, vt impius. De Messia autem dicitur, quod sit לְבַלְבָּשֵׁר הוּא לְנֶשֶׁפֶט הוּא ille, qui iudicatur, pro omni carne, Ier. XXV. 31. et quidem tam peruer-

sis temporibus, quibus nulla iustitiae concio auditur, nec
 quis ex veritate iudicatur *וְאֵין נִשְׁפֵּט בְּאֵמֶנָה* Ies. LIX. 4.
 Ex his exemplis satis superque conspici potest, quid vox
נִשְׁפֵּט significare *possit*, et quid pro praesentis contextus
 circumstantiis significare *debeat*. Adhibeatur modo iudi-
 cium criticum. Quid probabilius est? vtrum Dominus ab
 iis, quorum peccata delebit ac remitter, postulat sui meri-
 ti recordationem ac confessionem; an nouam de meritis Iu-
 daeorum disceptationem? Quid magis veritati et gloriae
 Messiae conuenit, vtrum si fingamus eum tam immemo-
 rem et obliuiosum, vt a Iudaeis ipsi reducenda sit memo-
 ria, vt disceptationes ipsi de nouo sint enarrandae; an si ex
 inspectione textus, et rei ipsius veritate intelligemus: Messi-
 am praeuidisse, Iudaeos doctrinam de merito Christi, per
 quod iustificemur, obliuioni tradituros ac abnegaturos esse,
 et hoc fore ipsis exitio. Nam hoc ipse praedixit v. 27. 28.
 Quia summus Pontifex, qui praecipuus Iudaeorum Pater
 esset, et quia omnes legis interpretes hoc detestabile sce-
 lus ac peccatum admittent, vt contra me rebellent, et a me
 deficiant, ideo ego quoque profanabo principes sanctua-
 rii, et exitio deuotebo Iacobum, et Israellem dabo in op-
 probria. Hoc autem non respondet primitiuae et antecē-
 denti intentioni Saluatoris, quae est: *recordare mei meriti,*
meaque passionis, dico per eam te velle iustificari, mei causa.
 Quodsi vero ingratus Iudaeus non credit in Christum, con-
 demnationi et aeterno exitio de iure relinquitur.

Exinde patet, Iudaeos maximi criminis reos peragi
 posse, quod verum reconciliationis cum Deo modum non
 quaerunt, in merito Messiae vera fide apprehendendo. Me-
 riti Christi quotidie meminisse par est, nam eius pia ac fi-
 xa meditatio et recordatio, est exercendus fidei actus, quo
 vnimur cum Christo, quo iudicamur vna, quo iustitiae eius
 reddimur participes. Adest meritum Christi, tanquam
 causa remissionis peccatorum, sed impius Iudaeus huic do-
 ctrinae

ctrinae nullum praebet assensum, nec considerat foedus gratiae in Christo, et neminem cenferi iustum, nisi *למשן* propter iustitiam et iudicium Messiae, Goelis nostri. Quid mirum itaque, si Christus etiam impiae genti, ac deuiae a uerbo ac foedere suo, seuerissimum se ostendit Vindicem in hodiernum vsque diem, iuxta praedictiones et comminationes prophetarum.

Vtinam inter Christianos nulli darentur Naturalistae et Sociniani, satisfactionem Christi vel negantes vel contemnentes: Hi reliquis omnibus Christianis religionis studio praestabunt, quamuis a Christo mediatore nefarie desciscant. Nihilominus hi homines sanctitatis opinione praecellentes ea sunt praesidentia, vt huius sceleris a nobis conuicti, tamen, repudiato merito Mediatoris, in se ipsos fiduciam, de assequenda remissione peccatorum, collocent; quasi ad gratuitam peccatorum remissionem nulla redemptio Christi, nulla satisfactio pro peccatis nostris esset necessaria. Quid tandem respondebit eiusmodi Socinianus in die iudicii, ad quaestiones: cur mei, qui delere volui tua peccata, oblitus es? cur vicariam satisfactionem et mortem meam repudiasti, vt nolles mecum iustificari vna? cur iudicii mei, in quo tamen tuam egi causam immemor fuisti? cur oblitus es, te peccatorem, nullum ius habuisse ad vitam et salutem sine me, sed meam ἀπολύτωση illud tibi gratis restituere Rom. III. 24? Nunc iustificatio locum non habet, vbi crimen et accusatio repudiati redemptoris adest. Qui non credidisti in me, venias nunc in iudicium, *קסר למשן הדין* dic et enarra cur iustificeris. Iustitia tua non potest mereri remissionem peccatorum, cui enim remittitur, ille recipit contrarium huius rei, quam meritum est. Iustitiam meam, et mortem meam noluisti interponere inter condemnationem tuam. Quia noluisti, per fidem cordis, et confessionem oris, mecum vniri; nec mea iustitia tibi poterit imputari. Dic igitur, cur iustificeris?

Obmutescendum erit tandem contemptori satisfactionis et meriti Christi, qui ut ingratus in redemptorem suum, in aeternam protrahetur condemnationem.

Quanto feliciores vero sunt omnes, qui per recordationem cordis et confessionem oris sic uniuntur cum Christo, ut ipse poenitentibus reis peccatorum veniam concedendam esse iudicet, ut ipse eos pro suis fidelibus agnoscat. Optime semper salutem suam prospexerunt, qui vita excessuri, in saluificae pretiosissimi meriti Christi apprehensione exspirarunt. Quam false etiam Pontificii *iustitiam imputatiuam* caeteroquin perstringunt, ut *putatiuam* modo appellent, insani tamen sunt, nisi in solo Christi merito morituros confidere iubent. Huc faciunt verba FORERII qui interfuit concilio Tridentino, et tamen in Commentario suo in Iesaiam faterur, ad textum nostrum (*) *compertissimum esse, gratiam et remissionem peccatorum misericordiae Dei debere adscribi, et insanos esse, qui aliud crederent, quales nos esse Lutherani mentiuntur.* Utrum Fr. Forerius, an Lutherani in hac inculpatione mentiantur, facile erit diiudicatu. Nam conferantur modo uerba Concilii Tridentini Sess. VI. can. 9. II. 12. *Si quis dixerit, sola fide impium iustificari, ita, ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, anathema sit. Si quis dixerit, homines iustificari, vel sola imputatione Iustitiae Christi, anathema sit. Si quis dixerit, fiduciam diuinae misericordiae, peccata remittentis propter Christum, solam esse eam, qua iustificamur, anathema sit.* Quam vellent Lutherani, ne Confessionem fidei Tridentinae addicti, merito Christi posthabito, propriis meritis nimium tribuant; ne morituros, et ante tribunal Christi sistendos, igne purgatorio enecent; ne eosdem vehementissime sic perterritos, intercessionibus sanctorum Christo iudici propitiandos statuunt; ne ad san-

(*) Conf. Biblia Critica Anglic. Tom. II. p. 2765.

ctorum merita confugiant, ne de missarum pro defunctis valore multum glorientur, sed potius ad folius Christi meritum eiusque recordationem et confessionem iustificandos amendent, nos eos libenter non habebimus pro infans, qui in operibus suis confidant. Nihil gratius, nihil acceptius nobis erit, quam si omnes cum BERNHARDO, Abbate Clarauallensi, bene edisserant, cur iustificari velint. Ille sub agone mortis, in excessu mentis, ante Dei tribunal fistitur, vbi Satanam ex aduerso maligne accusantem conspexit, qui cum omnia viri sancti delicta enumerasset, reus edicere iussus, quo se defenderet? BERNHARDVS nec territus, nec turbatus, praesenti animo respondit: *Scio me coelo dignum non esse, NEC PROPRIIS MERITIS OBTINERE ILLVD POSSE, sed Dominus meus Iesus Christus duplici iure possidet coelum, haereditate patris, et merito passionis; Altero ipse contentus, alterum mihi donat, et ex huius dono mihi ius illud vendico, ideoque non confundor!* quo dicto inimicus confusus, conuentus iudiciarius solutus, homo Dei in se reuersus, placcide obdormiuit, teste GVILIELMO Abbate L. I. de Vita BERNHARDI cap. XII. Eiusmodi recordationem et confessionem meriti Christi etiam omnibus commendamus.

Haec praefari libuit, cum S.S. Theologiae *Candidati*, qui summos in Theologia honores ambit, iudicium sit faciendum, cuius testabitur disputatio, se esse ex eorum numero, qui meriti Christi quam diligentissime recordantur. Commendandus ea de causa est, Vir Maxime Reuerendus et Amplissimus Dominus M. MARTINVS GRVLICHIVS, Ecclesiae Torgauensis Pastor, huiusque et vicinarum Ephorus Grauissimus, qui cum honores in theologia summos ab ordine nostro modeste petat, talem se probauit, vt facultatem edendi specimina more consueto exhibenda, libenter concedamus. Vt omnibus autem constet, quam vita studiorumque hactenus tenuerit rationem, eam breuiter communicabimus.

Vitae originem noster coepit in tractu Pomeraniae vltioris Sedinensi, natus parentibus piis ac maxime honestis, patre nimi-

rum IOANNE GRVLICHIO, Verbi Dei ministro apud Lottinenses meritissimo, totiusque Sedinensis Dioeceseos tandem Seniore venerabili, matre autem ANNA HASSIN. Incidunt natales eius in ipsum diem Martini Anni R. O. MDCXCV. Perceptis in aedibus paternis Christianismi principis, et literarum rudimentis, mittebatur in Scholam Publicensem, cuius Rector propinqua cognitione nostrum attingit. Quadriennio ibi exacto, et positis vtriusque linguae firmis fundamentis, SEDINVM petiit, Gymnasium Regium ibi frequentaturus. Cuius Rectorem M. CHRISTOPHORVM DENSOVIUM, tam graecae litteraturae, quam theologiae peritissimum cum haberet hospitem, lectionibus eius diligentissime interfuit, non neglectis reliquorum Praeceptorum institutionibus. Per lustrum hic commoratus, theologiae iam tum se tradere coepit eo fervore, ut B. KOENIGII theologiam positivam memoriter se tunc recitare potuisse passus sit. Anceps diu parens haesit, in quam filium optimae spei mittat Academiam. Regiomonti ipse versatus, illam Academiam eximio prosequutus est amore. Rostochii quam plurimos habuit consanguineos, Halam vero ut mitteret, a Praeceptoribus multum monebatur, quibus omnibus vero *Wittebergam* nostram anteposuit. Huc accessit anno MDCCXIII. tantoque discendi ardore studiis invigilavit, ut non modo a Professoribus et Doctoribus, sed etiam docendo disceret, et concinium suorum nonnullos in Hebraicis et Historicis erudiret. Audiuit apud nos in philosophicis Magnif. Dn. D. KLAUSINGVM, B. ELSWICHIVM, B. LVPPIVM, aliosque ordini Philosophorum adscriptos magistros; in Philologicis B. WICHMANSHAVSENIUM, Magnif. Dn. D. WENDLERVM; in historicis Magnif. Dn. BERGERVM et B. IANVM, in theologicis autem Magnif. Dn. D. KLAUSINGVM, B. WERNSDORFIVM, B. SCHROEERVM, ac B. HAFERVNGIVM, in Homileticis B. CHLADENIVM, et Maxime Reu. Dn. LIC. STIEGLIZIVM, Naumburgensium hodie Past. Pr. meritissimum. Finito hic triennio, Liphiam se contulit, B. ADAMO RECHENBERGIO, ob amicitiam, quae nostro cum Stargardiensium praefule B. ZIEROLDO intercessit, charus, ubi MENCKENII praelectiones historicas et Magnif. Dn. D. CARPZOVII in antiquitates sacras frequentavit, non neglectis Theologorum scholis. Ex voluntate parentis inde Dresdam petens, ut salutatis B. PIPPINGIO, ac Magnif. LOE-
SCHE-

SCHERO, domum rediret, vix Magnif. LOESCHERUM audierat, cum conditio satis honesta ipsi offerretur Dresdae subsistendi. Accepto parentis consensu hic in studiis strenue pergit et in informanda iuuentute *Weimariana* o *Feraliana*, *Kresshana* et tandem *Bunauiana* conceptam de se spem adimplet. Adscriptus mature a Magnif. Dn. D. LOESCHERO, quem diligenter audiuit, Consortio Theologico, integrum decennium Dresdae consumsit. Innotuerant eius studia multis aulae Proceribus, et maxime Excellentissimis Senatus Ecclesiastici Consiliariis, hinc anno MDCCXXVIII. ab iisdem ad curam ecclesiae in agro *Palaeo-Mitweidensi* vocatus, eam festo Paschatis MDCCXXIX. cum Deo adiit, multoque cum fructu huic pastoratui per triennium praefuit. Deinde ab Amplissimo Senatu *Freibergensi* anno MDCCXXXII. ad aedem S. Petri vocatus concionator Vesperinus, postea in B. RAMI locum, ad aedem S. Virginis concionator meridianus constitutus est. Per miram deinceps providentiam Dei accidit, vt Anno MDCCXLII. Amplissimus Senatus *Torgauensis*, Summe Reuerendi Dn. D. STEMLERI, Leucopetram euocati, pastoratum ipsi conferret, qua electione gratiose approbata, a Potentissimo ac Serenissimo Rege nostro, inspectione dioecesana dignus est habitus. Scripta, quorum noster parens est, sunt sequentia :

I. *Dresdensia.*

Catechismus discretius, 1723. in 8. et 137. in 12.

Cynosura Biblica, 1724. in 8. et 1743. in 8.

Memoriale Chronologicum, 1725.

Compendium Mythologiae, 1726. et 1737. in 8.

Ichnographia System. Theologiae Theticae, 1727. in 4.

Ichnographia System. Moralis, 1726. in 4.

Specimen Micro-Bibliothecae Scholasticae, 1726. in 8.

II. *Palaeo-Mitweidensia.*

Das wohl informirte Schul-Kind, 1730. in 12. et iterum 1740. in 12. et 1741. in 8.

Communion-Andachten, 1731. in 8.

III. *Frei-*

III. Freibergensia.

- Dogmatische Reden, 1732. in 8.
 Nachricht von unsern Kirchen Ceremonien, 1732. in 12.
 Evangelische Zehnden, 1734. in 8.
 Biblisches Vergnügen in Gott, 1736. in 8.
 Annales ecclesiastici, 1734.
 Der betende Jesus, 1736. in 8.
 Licht und Pflicht über die Sonntags-Evangelia, 1738. in 4.
 Communion-Buch, P. I. 1739. P. II. 1741. in 8.
 Der abgewiesene Religions-Spötter, 1737. in 4.
 Das betende Schul-Kind, 1741. in 8.
 Orthotomia Credendorum seu compendium theologiae the-
 ticae, 1742. in 8.

IV. Torgauensia.

- Evangelische Glaubens-Kette, 1742. in 4.
 Anweisung zur Ebräischen Sprache, vor die Schule zu Torgau,
 1743. in 8.
 Theologia Symbolica, 1743. in 8.

Ne quid tamen ei deesse videatur, e re sua fore putavit, si
 veniam consequendi summos in Theologia honores ab ordine
 nostro impetraret. Crastino igitur die, quod felix faustumque
 fit, ab hora IX. *Orationem*, quam vocant *inauguralem*, de *Hob-*
besianismo in scriptoribus Iuris ecclesiastici neotericis late regnan-
te, habebit. Cui audiendae vt **MAGNIFICVS ACADE-**
MIAE RECTOR, Patres illius Conscripti caeterique omni-
 um Ordinum Doctores, vna cum Venerandis Ecclesiae Ministris
 et Collegio Philosophorum Adscriptis, nec non OO. honora-
 tissimi litterarum fautores interesse velint, meo et collega-
 rum nomine, quanta decet, obseruantia contendo.
 P. P. Dom. VIII. post Trin. A. R. S. MDCC XLIV.



WITTEBERGAE
 FRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELD I,
 ACADEMIAE A TYPIS.

94 A 7368


ULB Halle
002 928 582

3



10 17





ORDINIS THEOLOGICI ²⁹
IN
ACADEMIA VVITTEBERGENSI
H. T.
DECANVS
CHRISTIANVS
FRIDERICVS
BAVER

S. S. THEOLOG. DOCTOR EIVSDEMQUE
PROF. PVBL. ORD. ALVMN. REG. ELECT.
EPHORVS

BENEVOLO LECTORI
S. P. D.

